

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 119. Continuatio caussæ Joannis Hussi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

**Sæcul. XV.** quens a Pontifice indicta fuit ad decimam septimam Decembris diem, Patresque omnibus, quæ paulo ante gesta fure, approbatis, sessionem solverunt.  
A.C. 1414

## §. CXVIII.

**Gregorii XII. insignia Joannis jussu dejecta.**

Vander  
Hardt tom.  
4. p. 20.

Interea Gregorii XII. & Benedicti XIII. Oratores iter suum prosequebantur Constantiam versus, illisque, qui a Gregorio misli erant, in Augustinianorum cænobio hospitii locus assignabatur. Cardinalis vero Ragusinus Joannes Domini, ubi aliquibus leucis ab urbe distabat, quemdam præmisit, qui insignia Gregorii foribus dicti Conventus affigeret. Hoc facto Joannes non parum exacerbatus, sequenti nocte ea dejici jussit. Quod cum Cardinalis graviter acciperet, hac super re Congregatio quædam habita est, in qua tamen suffragantium animis in diversa abeuntibus, nihil decisum fuisse constat.

## §. CXIX.

**Continuatio cauſæ Joannis Husi.**

Reichental  
p. 203.

Intermedio hoc temporis spatio Joannes Husius non attentis, quas a Sigismundo

mundo receperat, securitatis literis (\*) Sæcul. XV.  
 comprehensus est. Hic antequam Pra-  
 ga discessisset, ad Ecclesiarum hujus ur-  
 bis portas libellum affigere præsumpsit,  
 quo significabat, se ad Synodum acces-  
 surum, ibique ad singula accusationum  
 capita adversus se intentanda responsu-  
 rum, necnon vitæ ac doctrinæ suæ ratio-  
 nem redditurum. Mox ab Episcopo Na-  
 zareno Inquisitore sciscitabatur; num &  
 ipse contra se quædam proponenda ha-  
 beret? a quo benevolum quidem acce-  
 pit testimonium, cum tamen ad Archiepiscopi  
 curiam, ubi generalis Cleri con-  
 ventus adversus ipsum congregatus erat,  
 sese conferret, denegatus fuit ipsi in-  
 gressus, Prælatis eum audire renuenti-  
 bus. Hoc Joannes nequaquam territus,  
 itineri se committit, unacum nobilibus  
 illis Viris, quorum supra meminimus;  
 affixi quoque scripti sui apographa in o-  
 mnibus, quas pertransibat civitatibus, in  
 lingua Bohema & Germanica distribuit,  
 publice

A.C. 1414.

(\*) Quod Sigismundus aut Concilium da-  
 tam Husso fidem publicam violaverit, impuden-  
 tissima est calumnia, ab acatholicis vel per gran-  
 dem inscitiam, vel per summam malitiam frau-  
 dulenter confida, quam Scriptores catholici e-  
 videntibus pridem argumentis satis superque  
 confutarunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

publice contestatus, se ad Concilium itum, ut innocentiam suam vindicaret, suisque accusatoribus satis ficeret, exhortans eos, ut si quid ei objicere possent, secum ad Concilium venirent.

### §. CXX.

#### *Citatus ad Papam & Cardinales.*

Vander  
Hardt tom.  
4. p. 21.

Joannes Hussus, ut supra diximus, ter tia Novembris die Constantiam venit, illucque non multo post tempore Stephanus Paletz Theologiæ Professor Pragensis, atque in eadem Urbe cuiusdam Ecclesiæ Parochus Hussi adversarius profectus est, juncto sibi alio Parochio nomine Michael de Causis. Uterque Joanni Husso acriter obsistebant, parique Zelo animati scriptum, quod illius errores complectebatur, Pontifici & Concili Patribus exhibebant; quo perfecto Joannes Hussus die post adventum vigesima sexta solemni citatione jubetur, ut coram Pontifice & Cardinalibus compareret. Accessit Hussus comitante Joanne Clumæo amico suo, atque in totius confessus præsentia, se mori potius, quam alicujus hæresis convinci velle declaravit, addens, se læto animo venisse ad Synodum, & protinus, si alicujus erroris convictus esset, illum abjuraturum.

§. CXXI.